

1586.

Verme:  
Gyulsi István

CARMINA PROPEMPTICA

*In honorem*

EXIMIA PIETATE,  
SINGVLARI ERVDITI  
ONE, MODESTIA, HVMAN  
itate, omniumque Virtutum dotibus orna  
tissimi Viri, D. IOHANNIS L. DA  
NOCZII, post felicem in studijs Theo  
logicis ac Philosophicis profectum ex in  
clyta VVitebergenfium Academia in pa  
triam Vngariam redituri: Scripta amo  
ris & benevolentix ergo ab amis  
cis & popularibus. 6. Calend.  
Decemb. Anno noviffimi  
seculi, M. D. LXXXVI.



VVITEBERGAE  
Ex typographia Simonis Gronenbergij.  
M. D. LXXXVI.

EPIGRAMMA IOANNIS  
CZANADII, AD ORNATISSIMUM  
VIRVM, DN. IOANNEM L. DA-  
NOCIVM, SCRIPTVM.

Sicut Olor niveus post partum tecta requirit,  
Et latum dulci complet modulamine campus;  
Sic, ubi Danocius latices, epulasq; Dearum  
Leucoridum fumit, patriæ dulcissima terræ  
Rura petit, CHRISTVM semper memorare canendo  
Ut queat, & patrias hoc cantu compleat oras.

Felix ô nimum felix, qui sicce frequentat  
Agmina Musarum. Felix es docte IOHANNES,  
Posthabitis aliis cui Christum dicere mens est.

Det tibi successus felices, detq; benignos,  
Cui servire cupis, Deus, & te sistat in oris  
Pannonicis saluum, reduci quò patria tellus  
Gaudeat, & tecum dicat præconia Christo.



PROEMPTICON.

**P**ost varios casus, post tot discrimina vita,  
Qua tibi Musarum cura Deusq; dedit,  
Deseris Albiaci sublimia tecta Lycei  
Natalis repetens dulcia rura soli.  
Nos tibi synceros quos junxit fœdus amicos  
Prosequimur gressus voce animoq; tuos.  
Itò bonis avibus studiisq; enitere cunctis,  
Ut crescat vera religionis opus.  
Inprimis Christi cantus quos suavis Aëdon.  
Atq; O LOR Albiacis succinuerè vadis.  
Hos inquam cantus felici voce propages,  
Hos cantus tenera fac imitentur aves.  
Tunc te Pierides fama, sed Numina vita  
Ornabunt, illa sede soli, illa polo.  
Itò bonis avibus Musarum maxime cultor,  
Damnaq; susceptum nulla morentur iter.  
Te pietas, te Pierides, te gloria servet,  
Quorum sincero pectore cultor eras.  
Quodq; do supremum memor hoc cape pignus amoris  
Carmen, & invito quod loquor ore, Vale.

Balthasar Mencius Nimecius, Saxo,  
Lib. Art. & Phil. Mag. P.  
A 2 Multa

ALIVD.

**M**ulta mihi paucis meditati dicere, in aurem  
 Hoc mea suggestit Pieris usa sono:  
 Non est artis opus multis retinere legentem,  
 Longus ubique ferè tadia sermo parit.  
 Plus valet arcta vagis brevitatis ambagibus, illa  
 Condi mente potest, hæ sine fruge cadunt.  
 Ergo tuo patriam repetenti, Nate, IOHANNE  
 Hoc utens versu cuncta precatus eris:  
 Sit DEVS ipse comes longa regione viarum,  
 Cuncta, Deum comitem qui tenet, ille tenet.

M. Gregorius Schonfelt, hospes.

ALIVD

**E**st aliquis genius, charos qui jungit amicos,  
 Quisquis is, aeternum his promovet ille genius.  
 Nos quoque, IANE, bonos inter memorande sodales,  
 Hic genii sancto fœdere junxit amor.  
 Ceteraque, ut taceam: bis Phœbus dura bisformis  
 Philyride roseos terga peregris equos.  
 Me tibi, teque mihi, comitem, cum cura Patronum  
 Provida Leucoridis iussit adire domos.  
 Has, ubi, sancte, tuum puro de fonte liquorem  
 Pectus anhelantis sumere, CHRISTE, potest.

Nunc

Nunc scio jam, quid sit veterum meminisse laborum,  
 Quid sit iter fido carpere cum socio.  
 Te socio, Iane ò, sed CHRISTI tegmine tuti  
 Liquimus ut patrii limina chara soli:  
 Troia prarupti superavimus illicet ambo  
 Carpathii, dulcis, tuque, Budae, comes.  
 Devia pradantis transivimus arva Rutheni, &  
 Vallibus obscuris triste minantis agros.  
 Quid referam rutula stella, sub Mœnalis urbs,  
 Frigida qua mollis rura Polonus arat?  
 Frondea non referam culti, qua rura, Silesii,  
 Et qua Lusatio proxima terra solo est.  
 Non repetam geniale solum Misneidos ora,  
 Tecta hinc Leucorea ut vidimus alta schola.  
 Adde, quod argentes fundebat Aquarius undas,  
 Meta fuit nobis cum superanda gravis.  
 Scilicet ut prestans semper petit ardua virtus,  
 Claraque, conspicuum tollit ad astra caput:  
 Succumbit nunquam sic mens generosa labori,  
 Nec scit victori cedere palma suo.  
 Tu quoque, docte, gravem vicisti ut strenuus astutus  
 Fixisti & grato limite, Iane, pedem.  
 Limite, quo magni stant alta Lycea Philippi,  
 (Credo equidem doctas his habitare Deas).

A 3

Prima

Prima tibi, ut semper, fuerat via cura salutis,  
Altera septenas edidicisse Deas.  
Tertia doctiloquas studiosè jungere linguas,  
Claraq; Pieria tangere fila lyra,  
Testes incurvi fluitantes Albidos unda,  
Testis & Aonidum Pieridumq; chorus.  
Quae mala, quos morbos, sis passus, quosq; labores,  
Tu modò Apollinei per juga montis eas.  
Maeste igitur virtute tua: sic itur ad astra,  
Maeste bonis animi, viribus ingenii.  
O tantum liceat, tecum mihi clara Lycea,  
Et magè septenas excoluisse Deas.  
Sed, genitrix Phœbum cum Memnonis orta reducet,  
Diceris inuisa velle redire via.  
Me sine quid properas? non sic mihi saepe solebas  
Dicere: ne dubita, rursus ego fidus ero.  
Fidus ero tuus ille comes, cui saepe solebas  
Fidere, liquisti cum patrium antè solum.  
Si mutata tui est animi sententia, IANE,  
Saltem te incautum dira retardet hyems.  
Cernis ut hyberno tristetur frigore caelum,  
Seuiat ut gelido frigida bruma gelu.  
Ut tonsa rigidi canescant arbore rami,  
Turpet ut humanas stiria longa genas.

Adde,

Adde, quod astrorum positus mortalibus agris  
Acre gelu, atq; Austrum, mox pluviamq; cient.  
Inde trucem Boream gelidam spirare per Arcton,  
Pradicunt portas atq; patere cavas.  
Certus es ire tamen: nec amici cedere verbis  
Te iuvat, aut gelidi temporis acta movent.  
Si te fata trahunt, si te retrahitq; vicissim  
Quod sequeris, summi Numinis arbitrium,  
Vade bonis aribus, nullos tibi tempore brumae  
In cursu tristes incutiente metus.  
Auspice, amice, Deo, Iustus pete Pannonis oras,  
Et patriam: adventum nam cupit illa tuum.  
Pierides tibi erunt comites & Apollinis artes,  
Semper turba vias haec comitata tuas.  
Vade bonis aribus, mansuetis utere fati,  
IANE, tuum nomen Pannon & omen amat.  
Vade bonis aribus, mentisq; haec symbola pura,  
Impariter junctos accipe amice modos.

Matthias B. Iulianus. *Pyulog*

ALI.

**S**cilicet ut duras auget philomela querelas  
 Pendula quæ ramis arbor obumbrat humum:  
 Sic mihi tristitiam cerno lacrymasq; perennes  
 Crescere per ripas, Albi ni vose, tuas.  
 Ante alios siquidem, qui docta Lycea frequentant  
 Leucoridum, nobis gratus amicus abit.  
 Dulcis amicus abit, mecum qui saepe solebat  
 Aonii montis fidus adire Deas.  
 Iamne paras abitum? Iane ô dulcissime, cur me  
 Deseris? hinc rigidus plaustra Bubulcus agit.  
 Vnus amor nobis fuit: Et fuit una voluptas  
 Vna fides: unum fœdus: Et unus amor.  
 Omni vel tecum liceat modo Pannonis oras  
 Visere, vel Musas hinc coluisse sacras.  
 Sed quid? tunc potes celerem suspendere cursum?  
 Hei mihi, quod nulla ars hoc remoretur iter.  
 Ire igitur perstas? sic stat sententia fati,  
 Sic valuit sanctus, qui regit astra, Deus.  
 Te, quia non possum pedibus, comitabor euntem  
 Votis, chare, meis, imparibusq; modis.  
 IANE meos inter semper memorande sodales,  
 Vnaq; pars anima, deliciaq; mea:

Vade

Vade bonis avibus ductore sub alite sancto  
 Vade, nec inceptum fata morentur iter.  
 Post varios casus, post tedia longa viarum  
 Te saluum excipiat Pannonis ora sinu.  
 Illa tuos semper foveat bene, IANE, labores,  
 Digna, sudoris premia reddet ovans.  
 Sis felix, faveatq; tuis victoria rebus,  
 Mella fluant votis, lacq; merumq; tuis.  
 Da mihi fide, manum, da suavis amice salustem,  
 Illa tibi reddam, dulcis amice Vale.

Johannes Varfanus

**B**Landitias alii turpes sectantur, Et amplas  
 Accumulant, celebrat quas leve vulgus, opes.  
 Sed sapit is melius, qui religionis amore  
 Ingenii dives dotibus esse cupit.  
 Lubrica sunt etenim, foliisq; similissima vernis,  
 In precio fallax qua modò mundus habet.  
 Ut tenuis subito, dum fertur ad aethera purum,  
 Solvitur auricoma lampadis ore vapor.  
 Sic quoq; in humanis lucens citò gloria rebus  
 Concidit, Et nunquam qua fuit antè, manet.

B

Esse

Esse quid in toto majus vel clarius orbe  
Principe, sceptrigeris Regibus atq; potest?  
Summa subest horum tamen inconstantia rebus,  
Instabilis subeunt saepeq; sortis iter.

Ultima Dulychio Cræsum conjunxerat Iro  
Sors, veluti veterum nos monumenta docent.

Mygdonii optata, quas dat Semeleia proles,  
Divitia, mortis causa fuere Myda.

Casaris Hesperii victoria, scepra, triumpho,  
Sunt in sanguineam versa repente necem.

Hectora non validum robur, nec reddere Achillem,  
Felicem potuit, non Telamone satum.

Hic styga Tartaream violenta morte petivit,  
Illis exitio Dardana Troja fuit.

Parva Phylisium prostravit funda Gigantem,  
Dum jacit in summum turpia probra Deum.

Nonq; decens juvenem Davidis sanguine cretum,  
Nec potuit Phrygium forma juvare Parin.

Ergo age, dic quaso: num non mortale trahatur,  
Praclarum magno quicquid in orbe vides?

Divitiis Munditinea dominantur edaces,  
Iusq; in eas aliquod mus quoq; parvus habet.

Sic frontis decor, & membrorum robur, honores,  
Memento, quoniam sunt bona fluxa, cadunt.

Pallada

Pallada postponens igitur, rationis egens est,  
Regia Iuno tibi, vel Cytherea tibi.

Omnia sunt hominum, pulvis, nix, somnia, fumi,  
Demptis ingenii pectoris atq; bonis.

Hec homines possunt, sancta Pietatis alumnos  
Vita felices edocuisse status.

Hac juveni pariunt dulcis solatia vita,  
Perfugium misero perfugiumq; seni.

Hec hominem Foos doctum comitantur ad Indos,  
Auxilium sumptu deficiente ferunt.

Prasidium senii sunt hacq; viatica nostri,  
His semper dives quilibet esse potest.

Vivis & vitâ functis hac commoda mille  
Addunt, qua nobis longa referre mora est.

Talis nempe tuam mentem admiratio cepit  
IANE, mihi fratris semper amate loco.

Sedulus optares faustè currentibus annis  
Pierio demum figere monte pedem.

Tunc tacitus dixi: merces sine fine fugaces  
Estò delitiis dedita turba petat.

Gaudeat hic titulis, ad opes eat ille parandas,  
Vincat & argenti pondera, Crasse, tui.

Ipse Deum rutili torquentem sidera cæli,  
Syncera solum religione colam.

B 2

Esse

Esse novenarum turbaq; choriq; sororum,  
Vita manet donec, pars aliquanta volo.  
Hac tibi, post patriam quam iuristi arte Lycea,  
Causa salutandi regna remota fuit.  
Causa fuit, posses, charis comitatus amicis  
Leucorea tandem ponere in urbe gradum.  
Scilicet hic cultos Sophia licet ire per hortos,  
Non magè quis celebres Teutonius ora tenet.  
Floribus hic Pallas variis redimita capillos,  
Musarumq; cohors, Phœbus & ipse sedent.  
Hos tu dum studio lustras vigilante, cupisq;  
Flores & fructus accumulare bonos.  
Spumeus ignavo bis frigore constitit Albis  
Marmoreum toties strinxit & arva geli.  
Temporis hoc spacio pectus benè reddis onustum  
Multiplici rerum cognitione, tuum.  
Dogmata tu calles bis senis tradita servis,  
Hi populos inter qua docuere, tenes.  
Scis qua sint serie enarranda didagmata verbi,  
Hostilis solvi qua queat arte dolus.  
Excubias agis ipse Deo per Tempia Scholasq;  
Decipiat sanctum ne Iebusita gregem.  
Fraudis habet (capitis docet hoc insigne) Suita,  
Quadrifidus quantum vix, puto Mundus habet.

Te

Te penes est contra laus & victoria Veri,  
Qua cadit Ausonii fex scelerata Papa.  
Quatuor ut forment genitalia corpora, quicquid  
In patulo Mixtum cernitur orbe, tenes.  
Vnde nives, nimbi, pluvia, cœliq; fragores,  
Vnde tremor terra, ventus & unde, tenes.  
Usque adeo multos tempus breve dicit, ad artes  
Qui properant sancta nocte dieq; prece.  
Donis nunc animi tantis cumulatus & auctus  
Ad veteres patria vis remeare lares.  
Haud equidè miror, studium hoc magè laudo proboq;  
Tanquam quod verè non ratione caret.  
Nonne apis, ornatur vario cum munere florum,  
Festinat volitans cellulam adire suam?  
Plurima crede mihi nostris atvearia regnis  
Optatum expectant hinc redeuntis onus.  
Nonne (quod est homini visu mirabile) Magnes  
Semper ad Arctoum vertitur ipse polum.  
Sic rapitur, quamvis longinquis absit in oris,  
Ad patrium semper mens generosa solum.  
Hac hominum spoliare cupit qui pectora flamma,  
Is natura infert & simul arma Deo.  
Prima sed & patrie pars nostri adscribitur ortus,  
At genitor reliquam, frater, amicus, habent.

B 3

Qui

*Qui negat hęc, equidem Cuculo est ingrator omni,  
Curans sollicitè, dicitur esse pius.  
Quare agè, propositum hoc animo deponere noli  
IANE, sed ad patrios perge redire focos.  
Est grave, confiteor, socio disjungier, ista  
Res queruli multum, crede, doloris habet.  
Nos studii firmo fueramus fœdere juncti,  
Sedes, atq; eadem mensa duobus erat.  
Dulcis colloquii poteras, per pharmaca tanquam,  
Tollere seua mei vulnera cordis, ope.  
Sed seruare nefas te jam puto: publica nunquam  
Commoda privatis impedisse decet.  
Ad charos igitur frater rediture penates,  
Susceptam fausto sidere carpe viam.  
Te Deus atherei sapiens fabricator Olympi  
Deferat ad patria rura remota tua.  
Protogat invicta Pater hic munimine dextra,  
Aligerùm cingat teq; cohortis ope.  
Pannonica postquam fueris tellure potitus,  
Mathusale superes secula longa senis.  
Vivè Deo, patria, turba quoq; virve fideli,  
Quaq; tuos poteris parte juvare, iuva.*

Basilii VV. Szepsinus.

ALL

ALIVD.

*Est aliquid, caussa studiorum linquere terram  
Natalem, & multum commoditatis habet.  
Quod tu dum vigili perlustras mente, IOHANNES  
Moribus & studis nobilitate piis:  
Inchyta Musarum, patria post terga relicta,  
Tecta subis, maros Leucoreosque petis.  
Sedulus hic postquam es studiis ornatus honestis,  
Non dubitas patria consuluisse tuae.  
Carpis iter niveum brumali tempore solus,  
Et cum divitiis rura paterna petis.  
Non tempestates cœli, non frigora curas,  
Ut pubem patria nobilitare queas.  
Nec sunt invalido vires in corpore firma,  
Vix etiam argentum, quo reveharis, habes.  
Quid? poteras forsitan vitare pericula tanta,  
Quanta profecturo sunt subeunda tibi?  
Longius an poteras studiis incumbere sacris,  
Nobiscum sociis, & coluisse Deas?  
Sic fuit in fati positum: Sunt commoda semper  
Publica privatis anteferenda bonis.  
Ergo IANE meos inter memorande sodales,  
Felix susceptum continuabis iter.*

Vade

*Vade domum comitante DEO, tibi cœlitus adsit,  
Presidio cujus commoda cuncta feres.  
I felix, patriam exhilara, dominamq, Patronam  
Vi videas salvam, numina sancta precor.*

**Balthasar P. Miscolcinus.**

